



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Prælogivm Totivs Philosophiæ Ad Lectorem Mevm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)



PRÆLOGIVM
TOTIVS PHILOSOPHIÆ
AD LECTOREM MEVM.



VR SVM, aut potius recursum hunc philosophicum
semel, atq; iterum emensum denuò tamen aggre-
dior, & non contentus senis, quibus tenuit labor
meus annis, ætatibus quotquot erūt elaboro. Quid
ni verò: siquidem, vt rectè Boët. 3. de consol. metr. 3.

*Reperunt proprios quaque recursus,
Redituque suo singula gaudent.
Nec manet vlli traditus ordo,
Nisi qui fini iunxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.*

Sol oriturus occidit, & per immensa cœlis spatia volutus, fertque, refertque diem;
radiofo nimirum iubare auerso, reuertendi nouitatem affectans, & alternantibus
crepusculis, idcirco prius disparens, vt subinde quasi postliminio dilucescat. Luna
plenum argenti splendoris orbem mensuris interuallis paulatim minuit; &
iam corniculatim flexa, iam dimidiatim caesa apparet; suis scilicet gradibus ad
initium recurrens, vbi finem, & complementum obtinuit. Qui pridem vesper
erat, idem matutinis refurgit lucifer horis. Reliqua etiam sydera in semet redi-
tura meant, & circulos suos absoluunt, vt in eisdem illicò regrediantur. Super-
norum corporum legem inferiora seruant. Tellus flores ad honorem, fructus ad
maturitatem perducit, denuò tamen vernatura. Circumfluit telluri liquor, post-
quam occultas, apertasque vias diu egerat, mari tandem, ac amarori suo reddi-
tus, iterum terrarum ima subit, & nota itinera remetitur. Sic aëris irrequieta fla-
mina, sic flammantis elementi crispata volumina, sic quæ sub lunæ cauo conti-
nentur mixta omnia cursus, recursusque suos habent. Quominus mirandum est,
si quod natura passim præcipit, efficitque, id à nobis altior natura lex, vel potius
legis instar superiorum nutus obtineat.

Nescius haud sum, quot in Philosophiam prodierint illustria monimenta, &
quot in dies prodeant. Vt enim Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium se-
ctas venerabundo silentio prætermittam; qui non è Iesuitica nostra schola, tan-
quam ex equo Troico Philosophiæ duces extiterunt, ac luces emicuerunt? Quis
Patre Francisco Suarez, tum in Metaphysica, tum in libris de anima subli-
mior? Quis numeris omnibus absolutior? Ille mihi videtur, cum se to-
tum ad veterum scholasticorum lectionem contulisset, effinxisse maiestatem
Thomæ, grauitatem Alberti, claritatem Durandi, subtilitatem Scoti, copiam
Alensis, soliditatem Bonauenturæ, inuentionem Okami, acumen Gregorij, distin-
ctionem Gabrielis, vim Bachonij, profunditatem Henrici, & in summa quidquid

in vnoquoque præstantissimum eluxit. Nec vero (vt cum Fabio lib. 10. cap. 1. lo-
 quar) quod in quoque optimum fuit, studio consequutus est tantum, sed plurimas, vel potius
 omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenij beatissima vbertate. Non enim pluuias,
 vt ait Pindarus, aquas colligit, sed vno gurgite exundat, dono quodam providentia genitus,
 in quo tota vires suas Philosophia, atque etiam Theologia experiretur. Quis in ex-
 plorando sagacior, in inquirendo solertior, in spectando subtilior, in iudicando
 grauior, in vinciendo nodosior, in enodando faciliior, in cogitando capacior, si-
 nuosiorque? Quis aptior, aut instructior æquiuationes distinguere, gryphos dis-
 soluere, scrupos tollere, & flexanimis syllogismis vera propugnare, ac falsa impu-
 gnare. Quis præstantior arguere, vt respondendi, & respondere, vt arguendi nul-
 lus omnino locus esse videatur? Iam P. Gabriel Vazquez, & in Metaphysicis dis-
 putationibus, & vbiuis aliàs, cui secundus eruditione, acumine, & spiritu? Ingenio
 nonne tam graui, & vehementi excellunt, vt (quod de Tertulliano ait Vincen. Lirin.
 cap. 24.) nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit, aut
 pondere eliserit? Oratio tanta, nescio qua rationum necessitate conserta est, vt ad consensum
 sui, quos suadere non potuerit, impellat; cuius quot pene verba, tot sententia sunt; quot sensus,
 tot victoria.

Præterea Emin. Card. Toletus quantam vniuersæ Philosophiæ lucem adhibet?
 quantâ, & quàm felici indagine reconditos Aristotelis sensus sequitur, assequitur-
 que? quantâ iudicij maturitate, quantâ ingenij subtilitate, & sublimitate in vtram-
 que partem disputat? Deinde P. Petro Fonseca tùm in Metaphysica, tùm in Diale-
 cticis institutionibus, quis solidior, ornatiore? Annon (vt cum Plinio loquar lib. 2.
 epist. 3.) præmiatur aptè, narrat aptè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè? Postremò
 docet, delectat, adficit. Quid maximè dubites: crebra enthymemata, syllogismi circumscripti, &
 effecti, quod stylo assequi magnum est. Rursus P. Benedict. Pereira quo verborum nito-
 re, quâ argumentorum grauitate, quâ Doctorum autoritate Physicam suam or-
 nat, suadet, confirmat? Equidem vt ingenti voluptate, & admiratione sui, Lecto-
 rem suum semper implet, sic etiam haud paruo doloris sensu, quod non potuerit
 tantum opus perficere, ac reliquas Philosophiæ partes exequi. Insuper Conim-
 bricenses nostri, quàm multiplicis sunt, ac variæ lectionis? quàm versati in Phi-
 losophorum omnium doctrina? Aristotelem autem, quem præcipuè sequuntur,
 quàm bellè, ac fideliter Latinitate donant? quâ cum elegantia, & claritate expo-
 nunt? quâ soliditate, quibusque neruis defendunt? vt Poëtarum floribus interdum
 spirant? vt Oratorum fluminibus, cum è re est, exundant? quas non ex omni ge-
 nere litterarum diuitias in Philosophiam important? Eos ego dum lego, affari cer-
 tè iuuat in hæc B. Paulini verba epist. 31. ibi: Apposuitis mihi escas, quæ me esu-
 rientem facile in omnia verborum vestrorum, quasi in varia electarum gustu, & aspectu da-
 pum scitamenta rapuerunt; vt gula potius mea, quàm inopiæ memor auderem sumere, qui-
 bus paria preparare non possum. Mox P. Anton. Rubius quanto vtriusque orbis plau-
 su, quanto rei litterariæ emolumento Philosophiam totam in lucem ediderit,
 quis nisi litterarum nescius ignoret, ac nisi earum hostis, & zoilus diffiteatur?
 Meus etiam quondam in sacra Theologia Magister P. Petrus Hurtado de Men-
 doza quàm magnus fuerit Philosophiæ mystes, decies repetita philosophici cur-
 sus editiones testantur: semel ille edidit; iterum, atque iterum doctrinæ suæ splen-
 dor vulgavit. Vir certè fuit in inueniendis placitis profundus, in seligendis dex-
 ter, in confirmandis, quibus assentiebat, solidus, atque in infirmandis,
 quibus dissentiebat, acerrimus. Porro philosophica B. Francisci Albertini prin-
 cipia, atque inde deducta corollaria si spectes, miram in eo ingenij felicitatem,
 ac facilitatem dubio marte de primatu certauisse comperies. Quid iam memo-
 rem

rem

rem Vallios, Dandinos, Bidermannos, Bartholom. Amicos, Theophilos, Arriag-
gas, Ouiedos, Alphonfos, Tellezios, Casilios, Comptonos, Dutricos: quorum
philosophicis monumentis nihil, aut ab arte cultius, aut ab eruditione ditius, aut
ab ingenij laude præstantius; Quid alios complures? quos in Bibliotheca sua
longo, & honorifico censu numerat P. Philippus Alegambe, in primis numeran-
dus ipse, tum propter doctrinam, cum propter egregia in Societatis nostræ Do-
ctores merita.

Quæ cum ita sint, superuacuos, irritusque labor hic noster aliquibus fortasse vi-
debitur. Erunt enim, ni fallor, qui post numeratos Authores, aliosque innume-
ros, nihil ulterius inueniri, nullamque Philosophiæ accessionem fieri posse exi-
stiment, eamque proinde illustrare, aut publicitus euulgare, haud aliud esse cen-
seant, quàm in pelagus stillas, in siluam stipites, & in clarissimum solem mor-
tale lumen inferre. Non deerunt etiam alij, qui plura quidem inueniri posse, sed
tamen inuenta sufficere putent, adeoque satius arbitrentur esse, ab antiquiori-
bus proposita legere, quàm posterioribus legenda proponere. Alij Lectorum tæ-
dium, fastidiumque queruli repetent, ac noua tot librorum multitudine lassum,
fatiscientemque mundum obrui modo non deplorabunt. Nonnulli debitam an-
tiquitati reuerentiam prætendent, & cum sibi, & aliis nil scribendum, inuenien-
dumve seuere præcipiunt, *Se id modestia commotos facere dunt* (eorum more, quos
carpit Cicero lib. 4. ad Herennium) *propterea quod videatur esse ostentatio quedam,*
non satis habere, præcipere de artificio, sed ipsos etiam videri velle artificiosè gignere
exempla. Hoc, inquiunt, est ostentare se, non artem ostendere. Quare pudor est in primis ad
eam rem impedimento, ne nos solos probare, nos commendare, alios contemnere, & deri-
dere videamur. Denique quidam pietatis patrocinia prætexent segnitie, eos imi-
tati, qui apud Senecam de tranquillitate animi capit. 1. fantur ita: *Quid opus est*
seculis duratura componere? Vis non id agere, ne te posteri taceant? Moriri natus es: mi-
nus molestiarum habet funus tacitum. Itaque occupandi temporis causa in usum tuum,
non in prætorium aliquid simplici stylo scribe: minore labore opus est scribentibus in
diem.

Hæc obiiciunt ij potissimùm, qui supra Endimionem negligentia indor-
miunt, aut supra Zoilum inuidentiæ operantur. Caterùm eorum inanilo-
quentiis haud magis moueri quispiam debet, quam si dura silex, aut stec
Marpesia cautes. Fateor plurima iam inuenta esse: habeo etiam in confesso,
gratiam inuentoribus non exiguam habendam esse. Caterùm, vt cum Se-
neca loquar epist. 79. *Qui præcesserunt, non præripuisse mihi videntur, quæ di-*
ci poterant, sed aperuisse. Et paulò epistol. 64. *Multum adhuc restat operis, mul-*
tumque restabit: nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adii-
ciendi: Et paulo post: Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non pere-
gerunt.

Immeritò etiam aduersarij librorum numerositatem excusant, eoque sæcu-
lum opprimi querentur: fuit enim semper ingens librorum numerus, quibus
si contenta fuissent cruditorum ingenia, & nouis in lucem edendis supersedis-
sent, ne eos quidem haberemus, quos iam maximè terimus, quosque solemus
nocturna versare manu, versare diurna. Solus Varro innumerabiles pene libros com-
posuit; haud pauciores Caliterius: quatuor millia librorum Didymus Gramma-
ticus scripsit teste Seneca epist. 88. Origenes sex millia teste Hieronymo. August.
tanta scripsit Ildoro teste, *vt diebus, ac noctibus non solum scribere libros eius quisquam,*
sed nec legere quidè possit. Quod si hi, alijque plures scriptores singulatim tot claruere
operibus, quid de omnibus vniuersim existimandū est: Negat Cicero apud Senec.

epist. 69. Si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus, quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Quid si vidisset, quod scriptorum myriades, non solum in utroque illo genere, sed in omni postea prodierint?

*Non tot caducas educat frondes OËtha,
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nitiur densum globo,
Fluctusque non tot frangit Ionium mare,
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hyemes ales, & cælum secans
Torpente Nilo pensat arctoas niues.*

Quod habuit ætas quævis egregia litterarum monumenta, quot sæculum omne eruditionis plena volumina: nunquam tamen posterioribus obesse potuerunt antiquiora: imò hæc quasi semina quædam futurorum sparsa sunt, prouentum cum scenore redditura.

Quod autem scribendi susceptus hodie labor immodestia dicitur, vereor quidem, ne nimis inutiliter, & inepte proferatur. Cuius enim immodestiae est ab antiquioribus, si qua sunt neglecta, colligere, si qua prætercurta reperire: quam propterea laudis partem eis detrahit sedula, ac studiosa posteritas? Omnibus quidem annis noua messis albicat, omnibus noua plenis spumat vindemia labris; priorem tamen feracitatem annorum, sequentum prouentus haud negat, damnatæ. Rursus nec hornatinam messem, quæ subremanent spicæ, nec recentem vindemiam, qui supersunt racemi, condemnant, sed potius commendant. Verùm ne autumnus quidem reliquæ nostræ sint; omnia, & singula à maioribus nostris tractata sunt: cuius tamen immodestiae? cuius vitij? eadem ipsa retractare, componere, nouare, obscurisque lucem, incertis firmitatem, indigestis sedem, sparsis ordinem, informibus formam, & confusis vultum tribuere? Tandem, qui pietatis prætextu scribentes deterrent, qua in re pij videri volunt, in ea ipsa re impij admodum sunt, & iniuriam irrogant Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Basilio, Gregorio, Thomæ, atque ut semel dicam, iis omnibus, qui hætenus lucubrationes suas posteris transmiserunt, inanisque gloriæ securi præsentem, & futuram etiam Ecclesiæ vtilitatem curarunt. Hos laborasse, si pium fuit, eos laborando sequi, longo licet interuallo, nullam profectò redolebit impietatem. Egregie quidem Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: *Utrum autem omnino quidem, an est aliquibus permittendum scribere? & si prius quidem, quis est usus litterarum?*

Aggredior igitur meæ quidem tenuitatis conscius vniuersam Philosophiam, eamque in Dialecticam, Physicam, & Metaphysicam partior. Porro autem Dialectica communiter distribuitur in Isagogem Porphyrij, in cathogorias Aristotelis, in eius libros perihermenias, siue de interpretatione, inque eius libros de priori & posteriori resolutione, Topicos, & Elenchos. Rursus Physica findi solet in octo libros Aristotelicos; primum scilicet de principiis intrinsecis rerum naturalium; secundum de earum causis extrinsecis; tertium de motu, & infinito; quartum de tempore, loco, & vacuo; quintum de contrarietate, similitudine, contiguitate, aliisque proprietatibus, necnon etiam speciebus motus; sextum de partibus quantitatis motus; septimum, & octauum de principio extrinseco motus. Quinetiam Physica latius sumpta distribui solet, non solum in prædictos octo libros, sed etiam in duos de ortu & interitu, in quatuor de cælo & mundo, item in libros meteororum, atque in tres libros de anima, siue corpore animato. Postremò Metaphysica disponi solita est in duodecim libros Aristotelicos; primum scilicet de prolegomenis eiusmet scientiæ; secundum de difficultate veritatis acquirendæ, aliisque
ad

ad eundem scopum attinentibus; tertium de omnibus penè quaestionibus totius Metaphysicæ problematicæ, & in vtramque partem summâ breuitate disputatis; quartum de subiecto Metaphysicæ, ente nimirum, eiusque partibus, effectibus, & principiis; quintum de communium, & analogorum nominum multiplici significato; sextum de ente prout ad Metaphysicam spectat, ab eave reiiciendum est; septimum de primario entis significato, videlicet substantia; octauum de substantia sensibili, eiusque principiis; nonum de ente, prout diuidi solet in actum, & potentiam; decimum de vnitare, & multitudine, earumque contrarietate, & variis speciebus; vndecimum, vbi omnia in superioribus libris, nec non etiam aliqua in physicis tractata retractantur, & in summam rediguntur; duodecimum, & postremum, vbi etiam superius dicta recolliguntur, & aliqua de Deo, & Angelo perstringuntur.

Sed enim qui triplicem Philosophiæ partem ita subdiuidunt, & methodum hactenus insinuatam sequuntur, multum quidem in explicandis rebus implicari, & turbari solent: haud enim eas continenti, & perpetuo stylo tradunt, haud alias ex aliis ferunt, haud tandem eas distinctè, & ordinatè disponunt. Quintimo priores posticipant, posteriores anticipant, easdem repetunt, plures interrumpunt, alias confundunt, & non paucas ceu membra Pentheu dispersas exhibent. Temporis etiam rationem nullam habent, nec possunt, aliqui in Dialectica exponenda duos ipsos annuos circulos insumunt, alij ne vnum quidem; pari ratione in Physica edocenda aut nimium sunt prolixi, aut admodum breues: haud etiam secus in Metaphysica aut parci, aut prodigi sunt, eamque vel in fine postremi anni leuiter tangunt, vel adeo extendunt, vt bonam Dialecticæ, ac Physicæ partem in eam transferant, illamque de Metaphysica metametron fœda Metamorphosi efficiant.

His malis vt occurram, diuidere libet Dialecticam actibus intellectus ad veritatem informandis, & ordinandis ex integro intentam, in denos libros. Primus est Summularum Dialecticæ, siue scientiæ de veritate. Secundus eidem Dialecticæ proœmiatur. Sequens est de veritate simplici, siue de termino. Proximus autem de veritate composita, siue de propositione. Subsequens de veritate mediata, siue argumentatiua. Sextus liber est de signis veritatis. Septimus de modo sciendi veritatem. Octauus de vniuersalitate veritatis. Nonus de prædicabilitate veritatis. Postremus de quidditate, impossibilitate cum falsitate, & variis speciebus veritatis. Rursus Physicam in explicando corpore naturali positam in decem itidem libros partior. Quorum primus reliquo proludit operi. Secundus expendit compositionem essentialem corporis naturalis. Tertius compositionem eius continuam. Quartus causas. Quintus eius causalitatem, siue actionem productiuam. Sextus motum multiplicem. Septimus eiusdem locum, tempus, & infinitatem. Octauus est de corpore naturali corruptibili, siue sublunari. Nonus de corpore naturali incorruptibili, siue cœlesti. Ac tandem decimus de corpore naturali animato, siue viuenti. Postremo Metaphysicam in ente incorporeo collocatam in decem etiam libros dispesco. Primus est prolusorius. Secundus de essentia, & attributis entis incorporei præcisivè sumpti, siue entis vt sic. Tertius de prædicamentis entis incorporei præcisivè sumpti, siue entis vt sic. Quartus de oppositis entis incorporei. Quintus de transcendentia, & vniuocatione entis incorporei præcisivè sumpti, siue entis vt sic. Sextus de essentia, & conditionibus entis incorporei negatiuè sumpti. Septimus de potentiis, actibus, & obiectis

obiectis entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis. Octauus de speciebus, & habitibus entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis. Nonus de ente incorporeo negatiuè sumpto, siue spirituali incompleto, id est de anima rationali. Decimus de ente incorporeo negatiue sumpto, siue spirituali completo, nimirum Angelo, & Deo: atque ita Metaphysica in eo finitur, qui rerum omnium finis est, & meta. Hoc pacto res philosophiæ subiectæ pari tenore exponuntur, vno, eodémque filo tractantur, & quemadmodum inter se ordinem seruant, ita eorum explicatio ordinata est, atque distincta, vt nostræ partitionis ideam intuenti constabit. Temporis etiam ratio habetur quàm maxima: quando enim vniuersa Philosophia in plerisque nostris scholis, & non paucis externis absolui solet trium curriculo annorum, ea æquabilitate à nobis distributa est in tres decadas, vt prima Logicam continens primo anno, media Physicam complectens secundo, & extrema Metaphysicam comprehendens tertio anno exponi tota possit; præsertim succisis à legente Authorum testimoniis: cuius rei periculum ipsi fecimus, eamque haud impossibilem non semel perimus.

Porro autem in toto hoc opere multum authoritati, sed plus rationi, huic primas, & illi tantum secundas deferam. Authoritatem magnorum virorum nouandi studio, & acuminis ostentandi causa, & si plures sint, qui temerè respuant, temerè tamen respuendam esse qui iudicent, arbitror esse paucos. Vero namque verius est illud Alciati emblem. 69.

Ingenij est marcor, cladesque Philautia, doctos

Quæ pessum multos datque, deditque viros

Qui, veterum abiectâ methodo, noua dogmata quarunt,

Nilque suas præter tradere phantasias.

Quod si, vt ait Fabius lib. 1. cap. 10. *Summorum in eloquentia virorum iudicium pro ratione, & vel error honestus est magnos duces sequentibus*, ecquid de Philosophia dicendum est, in qua multò periculosius erraueris, & non verbi, sed veri ipsius iacturam feceris? Quocirca quoties ratio ad veritatem assequendam haud sufficit, communem aliorum authoritatem sequendam, & rationi non compertæ anteponendam, ratio ipsa dicat. Quo certè communior opinio, quo celebrior, quo liberius errat in scholis, eo magis omnium plausu veluti triumphat, tot condecorata spoliis, tot circumfusa ferculis, quot claros Magistros in sui captiuauit assensum. Qui, si antiqui, mirum quantum gratiæ, quantum fidei doctrinæ ad nos transmissæ concilient. Namque vti fluuios altius repetita commendat, atque insignit origo, sic veri scientia, quo vltiori fonte à prisca euoluta, ad posteros, hoc amplius laude, & veneratione clarescit, tum demum augustior, si quando Ægyptiaci more Nili suamet incunabula nescit. Huc quidem alludit Fabius suprâ: *Vetera maiestas quadam, & vt sic dicam, religio commendat*. Tanta igitur, talisque cum iure sit antiquorum authoritas, neotericorum etiam haud exigua esse debet. Vt enim cum Plinio lib. 6. epistolar. loquar: *Sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio*. Neque enim quasi lassæ, & effætæ natura, nihil iam laudabile parit. Egregie etiam, & temporibus nostris accommodatè dixisse mihi videtur Cornelius Tacitus libro tertio annal. *Neque omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit*.

Verum

Verumenimuerò in Philosophia, & alia quauis scientia naturali discenda, docendave, rationem, vbi satis affulserit, & veritatem patefecerit, autoritate vnus hominis, aut etiam multorum anteferendam esse, quis, nisi rationis impos, author non sit? Quorsum enim ratione præditi sumus, si, ea posthabita, alieno semper iudicio niti, ab eoque ne latum quidem vnguem, discedere cogimur? Hoc quidem, non iudicare, sed credere; non scire, sed reminisci; non ire, sed ferri; non ratione, sicut homines; sed instinctu, sicut belluas, regi. Qui præcesserunt, rationem sequi potuerunt; nobis quasi deterioris, imò alterius conditionis, ratio prærepta sit, & iudicium omne sublatum? & qui in reliquis maiores nostros sequi præcipimur, in hoc solo eos imitari vetabimur? Aliquid profectò interesse debet inter scientias humanas, & scientiam diuinam, Theologiamve. Cùmque Dei autoritas, & reuelatio huius propria sparta sit, ac potissimum fulcrum, illas contrà iudicij humani tibiae nixas esse, & ratione prognatas, rationis etiam iudicio se se maximè tueri oportet. Accedit, quòd Theologia, ac scientia à Deo infusa rationem non spernit: quænam igitur dementia est, & quantus error eorum, qui putant scientiam rationis naturalis ductu acquisitam, & ad posteros transmissam, amplecti nihil debere, quod sola ratio offerat, quodque ab autoritate non proficiscatur. Præclare Augustinus lib. 2. de ordine, cap. 9. *Ad discendum item necessario dupliciter ducimur, autoritate, atque ratione. Tempore autoritas, re autem ratio potior est.* Quinimò Philosophiam, prout Philosophia, ac scientia est, sola ratione inniti, & non nisi, prout fidei humanæ, aut diuinæ aliquid admixtum habet, autoritate eam frui docet eodem lib. c. 5. ibi: *Duplex est via, quam sequimur, cum rerum nos obscuritas mouet, aut rationem, aut certe autoritatem. Philosophia rationem promittit &c.*

Quod attinet ad orationem, vniuerso Philosophiæ corpori coloris instar futuram; rebus quidem dicendis primariam operam, & striosam, vt aiunt, lucernas addam: dictioni tamen, aliquid etiam operæ, & curæ impendam: non oratoriè aut poëticiè, sed tamen latinè loquar, quantum in me erit: lautitias, ac vences, fucos, & calamistros haud amabo: at hispidam, & inconsonam nominum texturam odero: verbis propriis, ac sensu tinctis ferri, non cothurnatis, ac sublimibus efferri conabor: modulata, & valde exquisita fugiam, sed & barbara, ac portentosa. Non nostri popositi, non animi, aut virium est, orationem afferre flosculis vernantem, figuris luxuriantem, translationibus magnificam, coloribus pictam, luminibus fulgidam, igniculis flammigantem, clausulis rotundam, numeris tumescentem, periodis, verbisque spumantem; non eam, quæ sirenæ cantus instar aures demulceat, affectus moueat, animos ludificet, & res augeat, minuat, tollat, abiiciat, ac magica quadam eloquentiæ vi in aliam formam, habitumque transmutet. Quinimo id genus dicendi affectabo, quod res huic scientiæ subiectas vsitata verborum proprietate, & apta perspicuitate enunciet, easque remotis simulachris, quales suoptè ingenio sunt, demonstret. Recte Horat. sat. 1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Multum est inter orationem phaleratam, & nudam; lautam, & ieiunam; fluminèam, & aridam, redundantem, & tenuem; theatralem, & rusticam; vermiculatam, & inconditam; illecebrofam, & teretricam; versicolore, & informem; vnguetatam, & hircosam. Mediâ igitur dicendi rationem inter has extremas, licet consequi non sperem, sequar tamen, quoad eius facere potuero. Sequendam enim præcipit Augustinus lib. 4. de doctrina Christi. cap. 4. ibi: *Evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet, atque intimet, quod ostendere intendit.* Vnde ait quidam, cum de tali loquutionis genere ageret, esse

inea

in ea quandam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahât ornatum, ut sordes non contrahat. Id ipsum etiam præcipit Seneca epist. 75. *Non in hercule ieiuna esse, et arida volo quæ de rebus tam magnis dicentur. Neque enim Philosophia ingenio renuntiat; multum tamen operæ impendi verbis non oportet.*

Quod denique spectat ad quæstiones, siue controuersias philosophicas; earum aliæ adeò tritæ sunt, & agitæ, ut eas circa, nec alia, nec aliter dici queant, nisi quæ prius dicta fermè cunctis innotescunt, & in libris iam editis passim circumferuntur. Has cauebo pro virili: *Sicut enim (ut cum Augustino lib. 4. de doct. Christ. nuper citato, cap. 10. loquar) gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est, qui cognita inculcat, eis duntaxat, quorum tota expectatio in dissoluenda eorum, quæ panduntur difficultate pendebat.* Aliæ vero quæstiones sunt ab Authoribus satis in utramque partem disputatæ; sed tamen nondum exhaustæ: has autem cur omittam? Aut cur materiam communem veluti eo ipso alienam reformidem? Nisi falsò monuit ille in arte poëtica:

Publica materies priuati iuris erit, si

Non circa vilem, patulumque moraberis orbem.

Hoc est, si non aliorum scripta, & inutilis, & inglorius penè transcribes, de tuo nihil adiiciens: siue nullos tibi carceres præscribi fines, quos quantauis ingenij alacritate, vel studij improbitate nunquam, & nusquam egredieris. Aut cur non ex Hieronymi ad Gerontiam consilio, *In vetere via nouam semitam quæram, et in antiqua, detrita que materia rudem artis excogitem elegantiam, ut eadem sint, et eadem non sint: Vnum iter, et peruenire quò cupias multa compendia.* Aliæ tandem quæstiones sunt propè intactæ, & à paucis, vel à nullis præoccupatæ: harum quidem non paucas vberiori filo persequar: atque in earum materia, veluti in diuite, & recenti vena, quam potuero altissimè, effodiam. Quemadmodum enim ab aliis dicta, adeoque non dicenda, sed omittenda repetere, & nota inculcare Lectoris inlusio quædam est; ita etiam, ut Plinij lib. 1. epist. scribentis ad Cornelium Tacitum verbis utar; *Præuaticatio est transire dicenda; præuaticatio etiam cursim, et breuiter attingere, quæ sint inculcanda, infringenda, repetenda: nam plerisque longiore tractatu vis quedam, et pondus accedit.* Reliquum est, amice Lector, ut conatus nostros, laboresque tametsi conatibus impares, æqui bonique consulas: & quidquid in toto hoc opere te offenderit (multa autem offendent) id nostræ tenuitati assignes: siquid autem minus displicuerit, id Deo bonorum omnium largitori acceptum referas.

APPRO